



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Contumelia quando sit excommunicari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

pore confessionis, non tunc affirmatur: quia si attri-  
 tus (ut prædictum est) suscipit sacramentum pœni-  
 tentiæ & Eucharistiæ, satisfacit præcepto Ecclesiæ.  
 Ex hoc autem quod peccata memoriæ occurrunt,  
 sicut non tenetur ad tunc confitendum, ita nec ad  
 tunc conterendum. Vtrumque enim est præceptum  
 affirmatiuum, obligans tempore necessitatis, quod  
 non constituit memoria. Sed tenetur semper ad non  
 approbandum, ad nō complacendum: quia ista sunt  
 præcepta negatiua, quæ obligant semper & ad sem-  
 per. Dies quoque festos sanctificare noua contritio-  
 ne peccatorum, sanctum consilium ac omni obser-  
 natione dignum est, non tamen præceptum: quia nec  
 ex parte contritionis præceptum de contritione de-  
 terminatur ad diem festum, nec ex parte diei festi  
 præceptum de sanctificatione festorum, determinat  
 sibi contritionem peccatorum.

*Contumax potest excommunicari.*

**C**ontumacia, pro quanto contra obedientiam iu-  
 dici debitam tendit, peccatum est mortale. In  
 cuius signum potest contumax excommunicari.

*Contumelia quando sit peccatum mortale.*

**C**ontumelia (qua quis malum culpæ iniuriosè in  
 proximum coram profert: puta, Tu es fur) pecca-  
 tum mortale est formaliter sumpta: quia quantum  
 in se est, lædit proximum in bono honoris. Dixi for-  
 maliter, hoc est ex intentione dehonorandi, quia ma-  
 terialiter (hoc est non ex intentione dehonorandi)  
 possunt verba contumeliosa absque vilo peccato di-  
 ci: reprehensionis gratia, vel cum peccato veniali ex  
 leuitate. Memento quoque hic & vbiq; quod hu-  
 iusmodi peccata mortalia ex suo genere sunt venia-  
 lia propter imperfectionem actus, vel quia primi mo-  
 tus: vel quia contumelia minima, vel quia materialis.



errantum contumelia est, nisi forte notabilis læsio  
proximi inde fit.

*Conuicium duplicem importat iniuriam.*

**C**onuicium duplicis iniurię nomen est. Quandoque enim generalem sonat iniuriam in proximum, coram illatam verbis, siue significetur malum culpę, vt esse sacrilegum, sicarium, &c. siue malum poenę vt esse cæcū vel claudum: ita quod contumelia est species conuictii. Quandoque autem sonat iniuriam pluriū simul vociferantium iniuriosè contra proximum, vt dicatur conuicium quasi conuictium à multitudine vocū: vt contingit sæpe transeunti pauperi à leuibus personis, iocosè tamen fieri. Et vtroque modo ex suo genere formaliter (hoc est ex intentione dehonoriandi factū) constat esse peccatū mortale: quia quantum est ex intentione actus & loquentis, læditur proximus in honore. Veruntamen propter imperfectionem actus (puta quia materialiter tantum conuictū dicitur sine notabili detrimento honoris, aut quia non verè consensit vt dehonoriandi gratia conuictiaretur, sed quasi primus motus fuit quò ad hoc, aut quia in minimo non curauit dehonoriare) veniale tantum peccatum incurritur. De exemplo autem dicto conuictantium iocosè, diximus: vt intelligatur conuictii significato, non quod iocosè factum, sit mortale, communiter enim veniale est conuictium iocosum, sed quòd seriò & formaliter fit, mortale est ratione dicta.

*Debitū omittēs correctionis grauitèr peccat.*

**C**orrectionis, qua subditi à superioribus corrigi, debent (siue puniendo factis, siue increpando verbis, siue superiores sint Prælati Ecclesiastici, siue domini seculares) omisso quādo, sicut, vbi &c. oportet, proculdubio peccatum est mortale: nisi propter